



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. Aliarum difficultatum solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

CAPVT IV.

Aliarum difficultatum solutio.

23

Sexta difficultas aduersus nostram sententiam sic se habet. Si qua veritas esset finis intrinsecus & obiectum attributionis dialecticæ, ea maximè ad quam regulis & institutis intellectum instruit: huiusmodi autem est veritas cuiuscunque alterius scientiæ, vt per se constat, aliarum ergo scientiarum veritates erunt obiectum attributionis dialecticæ, eiusque finis intrinsecus. Hoc autem, quod ex nostra sententia indissociabili consequentia infertur, prorsus falsum videtur: exinde namque vltius fieret, neminem fore perfectè dialecticum, nisi assequeretur veritates omnes reliquarum scientiarum, easque exactè cognosceret: quo pacto non est perfectus mathematicus, qui plerasque figuras & numerorum conspirationes scitè non nouit, aut perfectus Physiologus, aut Metaphysicus, quin ens in communi aut ens mobile calleat, & comprehendat, atque in summa nullius scientiæ censetur quis peritus, nisi cuius subiectum, finemque intrinsecum possidet. Quod autem sine notitia perfectæ earum veritatum, quæ ad alias scientias attinent, possit quiuis esse optimus dialecticus, etsi contrarium ex nostra sententia videatur sequi, experimento ipso constat: eiusque præterea ratio est manifesta, siquidem dialectica tum tempore, tum etiam natura & causalitate cæteras scientias antecedit: igitur in illa priori duratione temporis, aut naturæ, aliquis potest ac debet esse consummatus dialecticus quin tamen tunc temporis aut naturæ veritates aliarum scientiarum rectè calleat, aut certè eas callet, & scit, anteaquam earum scientias comparet, quo nihil magis falsum atque absurdum.

24

Respondeo: potest quis esse magnus in dialectica arte magister, quin veritates actuales aut habituales aliarum scientiarum actu possideat, aut consequatur, non tamen quin eas consequi facile possit si velit; quemadmodum potest aliquis esse perfectus architectus, quin domum actu cõstruat; non tamen, quin eam construere possit, si cupiat: vnde dialectica habet pro fine intrinsecò, atque obiecto attributionis, veritates aliarum scientiarum, non minus quam ars ædificandi, donum, sine qua tamen consistit. Atque quod de ratione facultatis practicæ non sit, actu exequi suum opus, finemque sibi subiectum, sed vt eum exequi possit, non solum nostra sed etiam Aristotelis doctrina est: nam primo rethoric. c. 1. sic ait quod igitur non sit vnus cuiusdam ac determinati generis rethorica, sed sicut dialectica, & quod utilis, expositum est: quodque opus eius non est persuadere, sed posse qua in singulis credibilia sunt perspicere, veluti etiam in cæteris artibus vniuersis: nec enim medicina est, sanitatem inducere, sed quoad vsque possibile sit, ad hoc vsque perducere, cum possibile sit, etiam eos, qui nullo possunt modo sanari, bene tamen curari. Id ipsum docet primo topicorum. c. 2. nam neque rethor omni ex modo persuadebit: neque medicus sanabit, sed si ex iis qua contingunt nihil omiserit, sufficienter eum disciplinam habere dixerimus. Ecce docet Aristoteles, posse quem alicuius artis gnarum ac peritum esse, quin eius finem ac subiectum opus exequatur, dummodo illud quantum in se est exequi sciat, ac valeat. Arist. eadem in re consentit Augustinus in princip. Rhet. c. 2. Ergo quasi consensu omnium finis est oratoris officij persuadere. Hoc quia in calumniam videbatur posse

recedere, non enim semper persuadet orator, nec si aliquando persuadere non possit facultatem & nomen oratoris amittit, addidit Hermagoras, quo calumniam effugeret, finem esse oratoris officij persuadere, quatenus condicio rerum personarumque patitur. Id ipsum etiam docet Fabius lib. 2. c. 16. Nosser orator, atque a nobis finita, non sunt posita in euentu. Tendit quidem ad victoriam, quid dicit, sed cum bene dixit, etiam si non vincat, id quod arte continetur effecit. Nam & gubernator vult saluam naue in portum peruenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, Dum clauum rectum teneam, & medicus sanitatem agri petit: si tamen aut valetudinis vi aut intemperantia agri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicina sine non excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nam est ars ea, vt post paulum clarius ostendemus, in actu posita non in effectu. Hactenus Fabius. Atque hoc est quod supra sæpe sæpius diximus, facultatis practicæ finem per se, & a quo nequit impediri, non esse actuale executionem operis, opusve prout executioni mandatum, sed illud prout proximè exequibile spectatis regulis artis. Quocirca, licet dialectica haberi possit ab eo qui veritates aliarum scientiarum nondum habet effectum, consequitur, nihilominus eas poterit illa velut finem & obiectum attributionis intueri, propter id quod eas consequi in eius potestate & arbitrio sit, qui dialecticam callet. Porro exempla contraria parum vrgent, mathematica enim, physica, & metaphysica habituales excellenti quidem gradu reperi in aliquo possunt, quin earum subiecta actu etiam imperfecto cognoscantur: Ceterum mathematica, physica & metaphysica actuales sine exacta cognitione actuali suorum finium haberi nequeunt: hoc autem idem seruata proportionem de dialectica dici potest ac debet, etiam si vera sint quæ circa eius subiectum superius asseruimus: namque dialectica habitualis sine exacta notitia actuum aliarum scientiarum inueniri potest: actualis tamen, inueniri nequit, quin veritates aliarum scientiarum siue earum actus veri cognoscantur adeò exactè, vt executioni mandari possint, si quis velit & in id incumbat.

25

Septima ratio aduersus nostram sententiam, eaque solutionis nuper traditæ impugnatio. Veritates aliarum scientiarum ad ipsas formaliter spectant; ergo non attinent ad dialecticam velut eius finis & obiectum attributionis: aliàs hæc facultas & reliquæ penes finem & subiectum non essent inuicem distinctæ. Respondeo distincta duplici veritate, alia formali quæ in intellectu residet, alia obiectiua, quæ est extra intellectum: veritates obiectiua aliarum scientiarum quatenus tales, & prout ab ipsis consideratæ non attinent ad dialecticam, neque eius finis esse possunt, solumque ad alias scientias spectant, vt manifestum est, atque in solutione sequentis argumenti declarabitur amplius. At veritates formales aliarum scientiarum earum obiecta finisneque non sunt, sed vel ipsæ per identitatem, vel certè earum proprietates, & proinde obiectum attributionis dialecticæ esse poterunt ac debent.

26

Octaua difficultas ac superioris replica sit hæc. Veritates formales aliarum scientiarum in communi sumptæ nequeunt esse finis, & obiectum attributionis dialecticæ, quin etiam earundem veritates obiectiua sint illius finis: sicut visio clara Dei, nequit esse vltimus finis, & beatitudo hominis, quin Deus ipse visus, seu visionis obiectum sit eius finis: at veritates obiectiua aliarum scientiarum non sunt obiectum attributionis dialecticæ, nec

etiam

etiam eius attributa formalia, vt nuper fassus sumus: igitur nec veritates formales.

27 Hæc obiectio nos cogit, vt finem quo, & finem qui dialecticæ, breuius quam aliis moris est expediamus. Igitur veritates obiectiuæ aliarum scientiarum sunt finis dialecticæ, vt exemplum adductum probat, ac proinde eius obiectum attributionis, non minus quam aliarum scientiarum; aliter tamen, & aliter: Nam veritates obiectiuæ aliarum scientiarum in communi, & confusè cognitæ, sunt obiectum attributionis dialecticæ; aliarum vero scientiarum in particulari sumptæ & distinctè ac dilucide cognitæ: Deinde sunt obiectum attributionis dialecticæ in concreto cum actibus, & pro vt eis subiacent; aliarum vero scientiarum incomplexè, & pro vt ab actibus distinguuntur. Hinc fit veritatem formalem, siue actum verum, quatenus talem, esse finem quod dialecticæ, & veritatem obiectiuam finem qui, si de fine assequibili ac solum cõtēplabili loquamur; si vero de fine exequibili: è conuerso veritas formalis erit eius finis qui? finis autem quod ipsi actus dialecticæ habituales, qui veritatem formalem definitionis, diuisionis, enunciationis &c. quam cognoscunt, proximè exequibilem reddunt: Quemadmodum Deus est finis qui assequibilis hominis, & eius visio finis quo cum tamen è conuerso illius finis qui exequibilis sit sola visio ac finis quo principia effectiua visionis.

28 Hinc dissolui potest nonum aduersus nostram sententiam argumentum, quod iam olim propositum inuenio apud Ciceronem lib. 2. acad. quæst. qui inscribitur lucullus his verbis: *Dialecticam inuentam esse dicis? (Stoici) veri, & falsi quasi disceptatricem, & indicem? cuius veri, & falsi? & in quare? in geometria ne quid sit verum vel falsum dialecticus indicabit, an in litteris, an in musicis? at ea non nouit. In philosophia; igitur sol quantum sit quid ad illum? quod sit summum bonum quid habet vt queat indicare? Quid igitur indicabit, quæ coniunctio, quæ disunctio vera sit? Quid ambigè dictum sit? Quid sequatur quamque rem? quid repugnet? si hæc, & horum similia indicat, de seipsa indicat: Plus autem pollicebatur. Quæ ad scholasticum rigore sic exigi possunt: Dialectica si habet pro obiecto attributionis veritatem, aut cognoscit id veri, quod ad physicam, metaphysicam, & alias scientias attinet? atque hoc falsum est: Aut cognoscit, quid sit verum in communi, siue, quod instat est, qui actus definiendi, diuidendi argumentandi, aut enuntiandi in communi sit verus? atque ita dialectica habebit se ipsam pro obiecto, & de seipsa iudicabit, quod planè absurdum videtur; quem admodum enim reliquæ scientiæ in aliud omnino se à feruntur, quidni & dialectica nostra? sed, vt dixi, hoc argumentum parum, aut nihil habet difficultatis dummodo superius statura attentè perpendantur: Ibi enim exposuimus, quatenus dialectica attingat id ipsum veri, quod ad alias scientias spectat, diuerso tamen modo: Ibidem etiam insinuauimus quo pacto dialectica veritatem formalem in communi, atque adeo semetipsam ex parte respiciat, videlicet quatenus veritas formalis in communi tam suos actus, quam aliarum facultatum complectitur: Quod autem hæc in semetipsas inadæquatè non reflectant vt plurimum, sicut dialectica, nihil mirum, cum solius dialecticæ materia sint actus intellectus, pro vt latissimè funduntur.*

29 Ex dictis etiam solui potest decimum aduersus nostram sententiam argumentum: quod conficitur ex Arist. lib. 2. metaph. c. 1. text. 3. *Rectè autem & illud habet philosophiam veritatis contemplatricem scientiam appellatam esse:* Ex quibus sic argues obiectum

R. P. Lyncei Philosophia Tom. I.

attributionis dialecticæ alteri scientiæ communè non est, vt suo loco fuisse probatum manet: Atqui veritas spectat maxime ad philosophiam, siue vniuersam, vt eum locum Aristotelis explicat P. Fonseca littera I, aut primam philosophiam, vt mauult cum multis aliis P. Suarez tom. 1. Metaph. disp. 8. initio; nequit igitur veritas esse obiectum attributionis dialecticæ: sed superius explicuimus, veritatem longe aliter ad dialecticam spectare, atque ad philosophiam, siue primam, siue vniuersam.

30 Præterea ex hæcenus disputatis solui potest vndecima aduersus nostram sententiam difficultas, quam ingerunt verba quædam Arist. Text. illo 3. nuper citato; *speculatiua enim finis veritas est, practica autem opus:* Vnde sic argues: logica non est scientia speculatiua, sed practica: at esset scientia speculatiua, si haberet pro fine, & obiecto attributionis veritatem, seu verum, quod iuxta est, ergo &c. Minor probatur, quoniam eo scientia practica & speculatiua distinguuntur iuxta Aristotelem loco citato, D. Thomam, Scotum & reliquos omnes, quod finis illius est opus, huius verum, siue veritas. Respondeo; scientia speculatiua habet pro fine obiectiuo siue obiecto attributionis verum assequibile, non exequibile: at dialectica habet pro fine obiectiuo ac subiecto verum exequibile; quando ad actus veros aliarum facultatum non solum cognoscendos verum etiam comparandos & efficiendos suapte natura instituta est: Proinde neque ex eius fine eam speculatiuam esse colligitur, nec etiam è conuerso, ex hoc quod speculatiua non sit, eius finem non esse veritatem inferitur.

Duodecima aduersus nostram sententiam difficultas: Ars naufactoria non habet pro fine proximo & intrinseco siue obiecto attributionis rectam navigationem, quam potius ars nauigandi finem ac veluti cynosuram sibi præstituit, eique se totam attribuit: Nihilominus ars naufactoria ad rectè nauigandum magnoperè conducit, imo etià necessaria est: quamuis igitur dialectica conducatur ad veritates, & actus rectos aliarum scientiarum, eos tamen dumtaxat respiciet velut finem extrinsecum, & remotum, non verò sicut finem intrinsecum, atque obiectum attributionis. Par argumentum confici potest in arte frænofactoria comparatione rectæ equitationis, de aliis similibus artibus mechanicis, quæ ad fines aliarum superiorum minusque illiberalium instrumenta suppeditant.

31 Hoc argumentum minus habet in recessu, quam fronte promittit: atque in primis, si cuius esset momenti aut ponderis, & iam ab obiecto formali, & materiali intrinseco dialecticæ, actus aliarum scientiarum relegaret: si quidem naufactoria imperfecta & non architectonica, à qua sola potest argui, de recta navigatione nullatenus agit. Ad hoc, inter naufactoriam & rectam navigationem mediat nauis ab vtraque realiter distincta, quæ possit esse finis proximus, & obiectum attributionis naufactoriæ: Cæterum, licet dialectica ad veritates aliarum scientiarum instrumenta suggerat, ea tamen instrumenta non sunt media inter dialecticam & alias scientias ab iisque realiter distincta; quin potius ab ipsa dialectica sunt indistincta; quamobrem præter veritates aliarum scientiarum nihil restat aliud, quod dialecticæ finis proximus & obiectum attributionis esse possit, nisi verò ea sibi metipsi tanquam fini & subiecto contra ius fasque attribuat. Ratio à priori est, quoniam instrumenta ad alias scientias sunt interiora & intellectualia; instrumenta verò ad fines artium illiberalium sunt exteriora; quo fit,

vt illa non tam sint finis dialectica, quam ipsa dialectica, vt exposuimus supra; hæc vero possint esse finis earum artium, à quibus suppeditantur. Tandem argumentum absque vlla distinctione id assumit, artem naufactoriam non intueri rectam navigationem veluti finem intrinsecum, & obiectum attributionis. At qui tractatu præcedenti cap. 4. latè ostendimus, fieri posse ac debere, vt ars naufactoria, si perfecta sit & architectonica, rectam navigationem veluti finem & subiectum sensu quodam respiciat.

32

Decima tertia aduersus nostram sententiam difficultas. Quævis scientia totalis definit suum subiectum, & docet quid sit; quo pacto metaphysica naturam & quidditatem entis vt sic; physica entis naturalis; mathematica quantitatis continui; & Theologia Dei, explanant. Dialectica autem non definit, quid sit veritas in communi, & quatenus ab actu falso differat; & num in complexione actus & obiecti consistat; hæc enim & similia animastica scientia propria esse tradit ex communi sententia P. Suar. t. 1. met. disp. 8. ipso initio: veritas igitur nequit esse subiectum dialecticæ. Respondeo, in primis dialectici muneris esse, definire quid sit actus verus, & in quo à falso differat, vt liquet ex Aristotele, qui in sua logica lib. 1. de interpret. c. 4. id præstat: eius methodum sequuntur innumeri scholastici, qui logicam proficentes multa in ea de veritatis natura differunt. Atque mihi exploratum est, dialecticam perfectam & multis speculationibus intermixtam muneris suo defuturam, si veritatis naturam exactè non explanaret, eamque circa quæstiones omnes non dissolueret. Vtè respondere, non esse de ratione facultatis duntaxat practicæ vt subiectum suum definiat, eiusque naturam admissim explicet, tametsi in facultatibus speculatiuis secus vsu veniat; nam vt cap. super. exposuimus, ars pictoria non definit, quid sit imago, nec curat in quo eius essentia sita. Proinde si sumatur logica vt ars solum practica & ab omni speculatione seiuncta, poterit habere veritatem pro fine ac subiecto, quin hoc nomine vlla ei accrescat definiendæ obligatio. Atque de logica ita sumpta reor loquutos P. Suar. supra laudatum aliosque authores, quoties non ad eam sed ad scientiam animasticam spectare docent, quid sit veritas nostrorum actuum, & quæcunque circa eius quidditatem & naturam disputari consueverunt.

33

Decima quarta aduersus nostram opinionem difficultas: Nulla ars adinuenta est ad ea quæ sunt rei alij necessaria: atqui veritas est proprietas nostrorum actuum eos necessaria ratione consequens: igitur dialectica ars propter veritatem veluti proprium finem subiectumque instituta esse nequit. Maior perspicua est: haud enim ars vlla est inuenta, vt lapis v. g. duritiem, frigiditatem, ponderositatem, coloremque natuum habeat, scilicet quoniam eiusmodi proprietates eius naturam necessariò sequuntur, eique sunt debite: vt verò formam aliquam peregrinam indicat, & hominis, leonis, alteriusque animantis aut rei inanimæ speciem effingat, arte opus est: videlicet, quia eiusmodi forma ac species ei non est necessaria, sed potius adesse & abesse potest pro artificum arbitrio: quæ ergo alicui necessario conueniunt, circa ea quævis ars est superuacanea. Minor etiam non minus perspicua videtur: namque fieri nequit, vt hic actus, *homo est animal rationale*, aliusve cuius definiens aut demonstrans menti inexistat, quin hoc ipso verus sit, & hæc illum proprietas sequatur, ea quidem necessitate qua ex lapidis essentia nuper recensitæ eius proprietates emanant;

quocirca, vt conclusum est, quam circa illas nulla est ars, tam circa veritatem quævis est reiicienda. Confirmatur, quoniam praxis siue obiectum notitiæ practicæ debet esse opus liberum, & non necessarium: aliàs visio beata, operatio belluina, verbum diuinum forent praxes, obiectum autem attributionis dialecticæ est obiectum scientiæ practicæ: debet igitur esse opus liberum & non necessarium: haud ergo est veritas, quæ actuum nostrorum proprietas necessaria est: Quia propter finem & obiectum attributionis dialecticæ debet esse artificiosa dispositio actuum intellectus, quam, si consequatur, non est quod de veritate sollicita sit: ea enim naturaliter & absque vllius artis ope ex ipsis actibus, in ipsos resulabit.

Principio retorquetur obiecta difficultas: namque honestas ac reconditudo moralis actuum voluntatis eorum est proprietas necessaria, fierique nequit, vt affectus nostri in bonum morale ferantur, quin eo ipso sint boni & recti: nihilominus propter bonitatem moralem nostrorum actuum & effectuum ars quædam & facultas practica est adinuenta, nempe ethica. Itè secundo, hunc actum, *homo est animal rationale*, necessario sequitur artificium definitionis non minus quam veritas; & sicut nequit non esse verus, ita etiam nullatenus fieri potest, vt non sit definitio: & tamen propter artificium definitionis aliudque quoduis simile ars dialectica vtiliter est instituta: quidni ergo & propter veritatem? Ad hæc, multi censent veritatem esse reipsa intrinsecam & essentialem omnibus actibus veris: Hoc autem vniuersum probabile est: ceterum, si sermo sit de actibus aliarum scientiarum, qui sunt in materia non contingenti sed necessaria, & qui fermè soli respiciuntur à dialectica, illud omnino verum certumque arbitror: quemadmodum ergo ipsi actus scientifici & intellectuales nobis sunt liberi, atque in nostra potestate & arbitrio siti, ita etiam veritas ab eis omnino indistincta, erit etiam reapse nobis libera & non necessaria; sicut ad artis finem ac subiectum oportet; Quin etiam, vt veritas nobis ita sit libera, satis superque est, vt aliqua ex parte in actibus intellectus nobis liberis, & à nostræ voluntatis imperio pendulis intrinsecè consistat, esto etiam rem cognitam vltèrius includat: tota enim complexio censetur causa alicui libera, quoties aliqua eius pars in arbitrio & libertate talis causa posita est: quo pacto denominatio volentis citra dubium libera est, cum tamen sola vna eius pars nempe forma, non vero subiectum libertatem habeat. Tandem permitto, veritatem esse proprietatem omninò distinctam ab actibus nostris, ex eisque necessario promanantem: hoc permissio ea nihilominus erit libera, & in nostra potestate sita, saltem fundamento tenus, & per denominationem ab actibus nostris nobis haud dubie voluntariis; quod sufficit vt illa pretium artis, & operæ sit, sicut constat exemplis toto hoc numero adductis, neque non etiam, quia idcirco proprietates naturales lapidis nobis obiectæ nulli subiciuntur arti, quoniam earum fundamentum naturaliter, ac necessario existit, & non artis, aut arbitrij nostri, sed solius naturæ opus est. Confirmatio autem argumenti parum momentosa est; tum quia veritatem multifariam esse liberam hæcenus ostendi: quidni ergo sit obiectum attributionis practicæ scientiæ, cuiusmodi est dialectica? Tum etiam quia opus necessarium posse nihilominus esse praxim, siue obiecti notitiæ practicæ tract. sequent. clarebit, vbi etiam exemplis visionis beate, operationis belluinae, & Verbi diuini fiet satis: quamquam ergo veritas esset omnino

34

omnino necessaria, hoc tamen nomine ab obiecto attributionis dialecticæ non deberet excludi.

35 Decima quinta contra nostram opinionem difficultas, à quibusdam neotericis obiecta: logica non tantum verum, sed etiam verisimile sectatur; docet enim probabiliter in utramque partem disputare: eius igitur finis vnicus, & obiectum attributionis non est veritas. Respondeo, id quod est verisimile, ac probabile frequenter verum esse, & semper verum cum fundamento apparere: logica ergo illud intendit, ac proficitur propter veritatem, quam frequenter habet, & quam semper habere, prudenter iudicatur, ac proinde veritas sola est finis & obiectum attributionis huius scientiæ. Sic medicina non tantum docet quomodo corpus possit curari, & infallibiliter curari, sed etiam quo pacto verisimiliter, & contingenter sanari valeat: nihilominus sanitas absolute dicitur finis, & obiectum attributionis medicinæ. Vno verbo, veritas prout abstracta à probabili, & euidenti, certis, & incerta dialecticæ subiicitur, & eius est finis vltimus: hoc autem ad summum probat ratio nobis obiecta; nobis autem haud obest, sed potius prodest.

36 Decima sexta ratio à neotericis etiam obiecta: veritas per se nota rationem formalem veritatis participat, & tamen non est subiectum Logicæ; veritas ergo absolute, & vniuersaliter sumpta perperam logicæ velut obiectum attributionis, ac finis præstituitur. Respondeo, honestas moralis omnino necessaria quæ v.g. beatus Deum amat, participat rationem formalem honestatis, & tamen non est subiectum ethicæ, illiusve scientiæ humanæ, cum sit supernaturalis; bonitas ergo moralis eius facultatis subiectum non erit, si cuius est momenti prædictum argumentum: Rursus sanitas miraculosa, & infusa non est subiectum aut finis artis medicinæ, & tamen rationem formalem sanitatis sortitur: Deinde pictura diuinitus, & per miraculum facta, cuiusmodi in sacris historiis referuntur non pauca, non est finis artis pingendi, sed supra eam, omneque naturæ vires est, & tamen veram habet rationem picturæ: Par est ratio aliarum facultatum, omnium ergo fines, & subiecta eo impetuntur argumento. Rursus dialecticæ munus est veritates per se notas tueri, easque demonstrare; etenim Deum esse iuxta Aegidium in primū dist. 3. q. 2. Argent. Albert. Antifiodor. Lyrannum, Abul. aliisque scholasticos, & Patres est per se notum, at quibus id modis defendi, ac demonstrari queat, dialectica instituit. Item quid per se notius, quam duas contradictorias simul veras, aut simul falsas esse non posse? atqui dialectica id probat ex his principiis, impossibile est idem esse, & non esse: quodlibet est, vel non est. Proinde veritas etiam per se nota dialecticæ sparsa, & finis quodammodo est. Denique finis dialecticæ est veritas omnis, quæ sub artem, ac disciplinam cadit, quod si veritas per se nota sub eam nullatenus cadit, nihil quidem refert, quod dialecticæ non sit finis & obiectum attributionis, neque enim inde argui potest ad alias veritates, quæ ab ea sunt dirigibiles: atque, vt quod sentio semel dicam, veritas per se nota, prout per se nota, non est subiectum logicæ; si autem sumatur, prout est veritas aliunde probabilis, vel demonstrabilis, ita quidem non recuso, quin dialecticæ sit finis, eique subiiciatur.

37 Decima septima eorundem obiectio est, subiectum Medicinæ esse corpus sanum, non solam sanitatem; Grammatica orationem congruam, non congruitatem tantum; ethicæ opus honestum, & non modò honestatem; atque vniuersim omnis ar-

tis practicæ non formam artificiosam, sed totum artefactum: sola igitur veritas non est subiectum logicæ, sed ad summum actus verus. Cæterum qui sic arguunt fingunt hostem quem feriant: quod enim actus verus sit Dialecticæ finis & obiectum attributionis est ipsa nostre sententiæ medulla: tantum abest, vt id vnquam negauerimus. Diximus quidem absolute, veritatem huius scientiæ subiectum ac finem esse; sed quis tam tardus sit, vt id non de veritate in concreto sumpta siue actu vero intelligat: haud aliter atque cum visio Dei dici solet non ster vltimus finis, eo ipso Deum visum esse finem ab omnibus censetur, quin sit vllus, qui horum alterum ab altero seiungat: atque etiam non secus ac ipsi veritatem formalem ita dialecticæ finem præfiximus, vt eandem finis dignitatem rei ab ea denominata, ac verè cognita tribuerimus: & quidem non tantum formam, sed totum artefactum esse subiectum cuiuslibet artis docet Arist. 2. politicor. c. 5. & ex eo Conimb. supra quæst. 5. art. 20. & reliqui communiter.

38 Decima aduersus nostram sententiam difficultas esto: obiectum attributionis scientiæ est eius obiectum adæquatum: sed veritas non est obiectum adæquatum logicæ, vt potè quæ non obicitur omnibus eius actibus: Multa enim præter illam à Dialectica considerantur, videlicet res, actus intellectus, voces, & cætera. Minorem huius argumenti indubiam arbitror: Maior haud aded constans est inter auctores Hurtadus disp. 1. log. f. 2. q. 8. Rodericus & alij negant, obiectum attributionis scientiæ propriè esse eius obiectum adæquatum: alij plures id affirmant: ipse distinguendum arbitror obiectum adæquatum in intrinsecum & extrinsecum: obiectum adæquatum intrinsecum est id, in quod omnes scientiæ actus intrinsecè feruntur: adæquatum extrinsecum est, in quod saltem extrinsecè tendunt; tum autem actus in obiectum aliquod extrinsecè fertur & contendit, quando ab intrinseca eius notitia originem trahit: Ita obiectum attributionis scientiæ non est obiectum eius adæquatum intrinsecum, cum plures actus scientifici illud proximè non respiciant, at vero est obiectum adæquatum extrinsecum totius scientiæ, cum nullus eius actus sit, qui aut obiectum attributionis intrinsecè ac proximè non attingat, vel certè ab eius notitia intrinseca seu practica seu speculatiua non oriatur tanquam à causa finali, eò quod ad illam comparandam naturaliter aut arbitrariè sit institutus. Hinc autem conitatur, veritatem posse esse obiectum attributionis dialecticæ; eius enim est obiectum adæquatum si non intrinsecum, at extrinsecum saltem: Neque oppositum ratio facta conuincit.

39 Decima nona difficultas: Quemadmodum se habet ethica circa actus voluntatis, ita dialectica circa actus intellectus: sed obiectum attributionis ethicæ non est honestas ac bonitas actuum nostrorum: ergo nec eorum veritas formalis dialecticæ subiicietur. Maior est nostra: minor suadetur; nam potius beatitudo naturalis est obiectum attributionis ethicæ: hoc enim cum fine vltimo & intrinseco scientiæ prorsus est idem, vt ex supradictis claret, beatitudo autem est finis vltimus ethicæ, quæ non illam ad honestatem moralem; sed, hanc & reliqua sua obiecta ad beatitudinem porro dirigit, atque nihil tractat nisi vt medium ad eam consequendam: rursus est finis non solum vltimus sed etiam intrinsecus ethicæ, vt potè quæ docet quatenus felicitas humana nostris actibus sit comparanda.

Sed argumentum hoc omnium de obiecto attributionis

butionis logicae sententias inuadit: etenim si non honestas nostrorum actuum aut ipsimet actus nostri quomodolibet iumpti, aut etiam ens morale, sed beatitudo ab his distincta & eis posterior, est ethicae finis ac subiectum, pari iure non solum veritas actuum intellectus, imò nec ipsi actus videlicet definitio, diuisio, demonstratio, propositio, aliue qualeslibet, aut etiam ens rationis erunt obiectum attributionis dialecticae. Præcisè respondeo, beatitudinem quidem esse obiectum attributionis, ac finem vltimum & intrinsecum ethicae, vt probat argumentum, & perspicue docet Aristoteles 1. eth. cap. 13. *quoniam felicitas anima per virtutem perfectam operatio quaedam est, de virtute considerandum videtur: hoc enim modo fortasse efficietur, vt melius de felicitate etiam contemplerur.* Cæterum beatitudinem non nudè sumptam, sed prout maximè consequibilem merito honestatis ac rectitudinis moralis, eiusmodi rationem finis ac subiecti obtinere, sicut animaduertit Auerfa quaest. 2. log. f. 5. parum ab initio, Henricus Kresbein in proleg. Eth. Conimbr. etiam in prooem. Eth. & in vestibulo disp. 1. & alij quos refert Piccolomineus in introd. cap. 2. Cum ergo honestas nostrorum actuum constituat beatitudinem naturalem proximè consequibilem, & beatitudo nisi vt ita consequibilis non sit obiectum attributionis ethicae; sanè hæc etiam honestatem actuum voluntatis velut subiectum respicit: nihil ergo vetat, quo minus veritas similiter logicae nostrae tanquam finis subiiciatur. Id tamen discriminis est inter logicam & ethicam, vt simili in re notauit Auerfa loco citato, quod ethica aliud præter honestatem intrinsecè attingit, scilicet beatitudinem ea comparandam: vnde finis ethicae eius præceptis consequibilis non vnus sed duplex est, beatitudo videlicet & honestas moralis, hæc finis *quo*, illa finis *qui*: vterque autem vnum subiectum constituit ac perficit. Cæterum dialectica ita considerat veritatem actuum intellectus, vt eam in aliud nihil vltius referat, quod ipsa intrinsecè respiciat: proinde sola veritas erit eius subiectum & vltimus finis.

41 Vigesima aduersus nostram sententiam difficultas, & superioris confirmatio. Argumentum illud quo superius probare conati sumus, veritatem esse obiectum attributionis dialecticae, propter id quod honestas moralis est subiectum ethicae, vt alicuius esset roboris; profectò talis honestas deberet iuxta omnes ethicae subiici, & vltimus finis ac obiectum attributionis esse; at plerique contrarium docent, vt cernere est apud P. Theophil. in prologo discip. moral. §. 2. n. 10. Respondeo, neminem esse, qui reuera honestatem seu rectitudinem moralem nostrorum actuum non censeat esse obiectum attributionis ethicae: Qui enim docent beatitudinem eius esse subiectum, loquuntur de beatitudine prout exequibili per actus rectos & honestos; hos ergo à ratione subiecti non excludunt: Præterea, qui hominem vt agentem liberè, cum Donato Acciaiuolo, vel vt voluntariè agentem propter finem vtique hominis proprium & vltimum, cum B. Thoma 1. eth. lec. 1. volunt esse subiectum ethicae, nobiscum etiam faciunt; cum libera & voluntaria actio hominis ad eius finem conducent debet esse honesta ac recta. Deinde eandem honestatem adhuc clarius ethicae velut finem subiiciunt, qui eius subiectum volunt esse cum Iauello hominem vt mente sanabilem; cum Alberto bonum hominis vt homo est; cum Aureolo hominem vt ratione dirigibilem, & cum aliis ideam rectarum mentis operationum. Vide P. Theophi-

lum suprà n. 2. nobiscum sentientem, & reliquorum sententias nostrae conciliantem, solito acumine & eruditione.

Postrema aduersus nostram sententiam difficultas, est quam facessunt tot obiecta attributionis logicae ab aliis assignata: Eorum tamen siluulam cap. seq. præcedemus.

C A P V T V.

Quatenus alij de obiecto attributionis dialecticae sentiant?

43 Prima sententia est, actum intellectus in communi, & prout comprehendit apprehensionem, iudicium, & discursum esse subiectum dialecticae: Ita Algazel in log. c. 1. & 2. ac nonnulli apud Scotum q. 1. de prædicab. item directè, Auerfa q. 2. log. f. 5. conclus. 1. vbi alios multos in eandem sententiam trahere conatur, sed vereor ne inuitos: referri etiam solent Aristoteles, Augustinus, Isidorus, Fabius, Zeno, Stoicus, & alij plures, eò quod logicam scientiam rationalem vocent; quasi vero ita appellari non posset, propter id quod rationis maximum bonum, eius scilicet veritas & rectitudo, sit eius subiectum, quin necesse sit ipsos rationis actus quomodocunque aliter sumptos aut secundum se spectatos eam subiecti rationem obtinere, vt aduersarij nominis ethymo abutentes contendunt. Altera sententia est propositionem siue iudicium esse obiectum attributionis dialecticae: pro qua referri ab aliquibus solent Stoici apud Ciceronem initio topicorum ad Trebatium, quod ibi dicantur ea scientia quæ dialectica appellatur, iudicandi vias diligenter percuratas fuisse. Cæterum nihil fauent: tum quia sermonem habent de dialectica non latè & vniuersaliter sumpta, sed de ea strictius vtrpata, & prout vnā differendi rationem, videlicet iudicandi, non verò aliam, nempe topicam siue inueniendi artem complectitur: vt constat ex Cicerone loco citato: tum etiam quia illa ipsa pars dialecticae, de qua loquuntur iuxta ipsos non habet pro subiecto iudicium prout est secunda mentis operatio magis quam prout est tertia & ex præmissis effecta: imò iudicium neutro modo sumptum iuxta eos est obiectum attributionis logicae, sed duntaxat quatenus verum à falso dilucidat, vt ex ipsis c. 1. ostendimus. Tertia sententia nuper relatae affinis, est quorundam recentiorum opinantium ens enunciabile tam formale quam obiectum, siue enunciationem & rem enunciatam, esse subiectum logicae: arbitror tamen hanc sententiam frustra adinuentam esse, post illam priorem, vt potè quæ propositionem dialecticae subiiciens, rem ea cognitam ac iudicatam etiam à ratione talis subiecti non excludit, haud aliter atque cum visio Dei dicitur finis vltimus hominis eiusque beatitudo supernaturalis, eo ipso Deus esse etiam finis & beatitudo nostra non negatur, sed affirmatur.

44 Quarta sententia quam nouissimè tuetur P. Compton disput. 7. log. à sect. 4. est definitionem esse obiectum attributionis logicae. Pro hac opinione referri potest Plato dial. 7. de republica ibi; *ar enim nisi quis inquam & accipere possit, & reddere rationem nunquam sciet quicquam eorum, quæ esse dicimus cognoscenda. Nonne hæc iam lex est in quam ô Glauco, qua per differendi artem ostenditur.* Et paulo infra; *nemo autem aduersabitur nobis dicentibus, quod differendi facultas duntaxat, conatur ordine certo circa vnumquodque quid ipsum sit inuenire.* Et paulo etiam